



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus VI. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

latia, terrena tamen non respuant, non missa faciant, exclamantes cum murmurantibus Israëlitis Num. 11. *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones &c.* O quantæ amentix indicium? vide Christiane Lector: an non & tu hos inter reperiaris unus?



FASCICULUS VI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 22. lib. Genes. in quo describitur Abraha obedientia in oblatione Isaac.

Considera: **Q**Uam obsequiosus fuerit Abraham divino Præcepto, N.34. tam difficilem & naturæ tam contrariam rem continenti: enim verò non expectavit solis ortum, sed altâ etiamnum nocte abiit ad locum, mactando filio designatum. *Verus obediens non attendit, teste Bernardô de præc. & disp. Quale præcipitur, hóc solò contentus, quia præcipitur: hinc Abrahamum imitaturus quidam Monachus, ut referunt vitæ PP. lib. 4. Filium, à se prius legitime in sæculo genitum, ab Abbate suo iussus in furnum ocius projecit; sed divinâ virtute illæsum extraxit. Scipio Africanus bellum gerens, ostendit viros armatos, quos secum habebat, turrimque præcelsam in mari positam, asserens: nullum ex militibus adesse, qui non celerius concensâ turri in mare se præcipitem daret. Pausanias græci agminis Imperator, cum inter sacrificandum Mardonius Dux Persarum inexpectatò impetu irrueret, suos omnes abjectis armis & clypeis, quibus se defenderent, iussit quiescere, nec prius hostem depellere, quam pugnx signum audirent: quod à singulis tam exactè præstitum est, ut licet plurimi eorum caderent inulti, nullus tamen inveniretur, qui non auditò prius signò hosti sese opponeret. O Christiane Lector! quomodò confunderis, non tantum Abrahami viri sanctissimi, sed etiam barbarorum exemplis, qui superiorum iussa dis-*
scute-

scutere, & tanquam impletu nimis gravia arguere soles. *Species contumacia est, ait Petrus Blef. Epist. ad Priorem de modo mandati inquirere, hesitare, discernere, aut differre: in contractu enim obedientie non habet disputatio aut disceptatio locum; nam si in discussionem seu suspensionem eam, que tibi sunt mandata deduxeris, ad lignum scientie boni & mali manum pravaricationis extendis.* Aurum etsi metallorum omnium maximè densum sit, maximè tamen omnium tunstile, fusile ac ductile est, etiam in minutissimas partes & folia extendi se patiens, fundique in omnem typum & figuram. Talem oportet esse veræ obedientiæ alumnum: tundat superior, premat, ducat, findat, fundat, gravia aut levia imperet, ad omnem nutum & imperium se illicò obsequiosum exhibeat subditus. Hoc erat tribulato Job in extremis suis calamitatibus unicum solatium cap. 1. v. 21. *Sicut placuit Domino, ita factum est. Quali diceret: voluit Deus, superior meus, ferri à me gravissimas hæcæ ærumnas, & ecce! lubenti animò sustuli omnes, nunquam auditus conqueri gravitatem mandati, rigorem imperantis, aut excusare virium mearum imbecillitatem. O virum! exclamat S. Hieron. Epist. ad Demetr. ante Evangelium Evangelicum, & Apostolicum ante præcepta Apostolica discipulum Apostolorum.* Quæso: quam heroicam præstitisset obedientiam, si vidisset Salvatorem suum ex obedientia captum à Judæis, falsò accusatum, flagellis cæsum, spinis coronatum, & tandem infamè cruce suspensum? nõnne cæli in motibus suis sunt contrarii, & tamen omnes ad unius superioris sui nutum in stupendam conspirant harmoniam? nõnne elementa quoad situm & qualitatem notantur diversissima, & tamen ad supremi illius Architecsti imperium illicò conjungunt singulas vires, ut universi conservent machinam? an non in te ipso reperis quoddam discordantium humorum chaos, & tamen ad unicum mandantis Domini verbum fiat pulcherrimum surgit mixtum, per concordissimas discordias formatum? *Ipsè dixit, & facta sunt. Psal. 148. De te verò Christiane Lector audiatur, superior dixit, & facta non sunt? quia videbantur genio tuo non sapida, naturæ tuæ non nihil contraria, impletu difficiliora?*

N.35. *Considera 2. Quod sicut Abraham victimam suam honoraturus Deum jussit in pede montis servos cum Asino subsistere, & ipse solus ascenderit montem cum filio: ita oporteat, nos Deum per præces & sacrificia accessuros, seponere prius omnem comitatum rerum temporalium, quarum memoria obsistere possit menti, in solum Deum*

Deum tunc temporis elevandæ. Ut enim cordæ instrumenti musici digitò tactæ diu resonant, nî iterum tactæ compescantur; ita cogitationes, de temporalibus negotiis habitæ, in nostra mente tinnitum relinquunt, qui devotioni obstrepat, nî ante orationis initium contrariis cogitationibus expellantur. Hoc ipsi noverant Gentiles; hinc Tempia ingressuris legendum objiciebant isthoc proverbium: *Adoraturi sedeant.* Pari de causa Deus Hebræis imperat; calceos deponant, sacras ædes frequentaturi, cogitationes videlicet terrenis ab occupationibus sordidas abigant, quando cogitant, Deo per orationem loqui. In hunc denique finem Sacerdotes Catholici altiori non nihil voce sacra inchoant, dicendò; *Oremus*, ut sic præsentium animos excitent, mentemque à terrenis abstractam in solum transferant Deum: quid enim oratio, nisi *elevatio mentis in Deum*?

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 23. lib. Genesis, in quo describitur Mors Saræ, plañtus Abrahami, emptio sepulchri & ipsa sepultura.

Considera: **Q**uanta cura fuerit Abrahamo pro cadavere Saræ uxoris suæ: dum illud noluit inferre sepulchris Gentilium, sibi ultrò oblatis, ratus: injuriosum fore, tam piæ & fidelis fœminæ corpus conjungere cadaveribus impiorum; specialem ergo pro ea habiturus sepulturam, magnos impendit sumptus emendò agrum Hethæi. O Christiane Lector! si Abraham tam sollicitus existit pro digna requie cadaveris Saræ, in cineres resolvendi; quantam curam te habere oportet pro requie animæ tuæ, post mortem corporis æternum victuræ; ne illa damnatis in Inferno associata, injuriam patiatur, nullis unquam lacrymâs fat descendam? sit ergo præcipuum tibi in hac vita negotium; tot bonorum operum & meritorum ficlos colligere, quot requirit emendus ager ille, quem Venalem exponit Divinus ille Hethæus Christus Dominus. Et hem! tam levî pretiò comparari poterit, ut regius Vates testetur Psal. 55. *Pro nihilo salvos facies illos.* Unicò tantum liberali prandiò Martha soror Magdalænæ illum emit, & Josephus ab Arimathæa accommodato tantum sepulchrò. Audi Augustinum in Psal. 49. *Quid tam vile, asserit ille, quam frangere panem esurienti? tanti valet Regnum Cœlorum.* Audi Petrum Chry-

Chrysologum Serm. 8. dicentem: *Da nummum, & accipies Regnum. Da micam, & accipies totum.* quin imò: emere si non possis tam exiguo pretiò, saltem mendicare poteris, & mendicandò assequi cœlum. Taliter affecutus est infamis ille latro Dismas, qui rebûs omnibûs spoliatus, è cruce pendens, solâ oratione obtinuit Paradisum; & hinc hortatur S. Greg. Nazianz. de pauperum amore loquens: *Si nihil in substantia tua habes, quàm tibi in victu & vestitu mediocri sufficiat, sola tibi potest bona voluntas sufficere.* Quid enim oratio, nisi clavis cœli? hâc clave usa est Anna Prophetissa *Luca 2.* Non discedens de Templo, sed jejuniis & observacionibûs serviens die ac nocte. Hanc clavem apprehendit, & cœlestes sibi portas reseravit nobilis ille *Casar.* teste *lib. 9. cap. 49.* qui ob vitam rapinis assuetam tandem captus, & à Friderico Imperatore patibulo adjudicatus, vivens in illo eò usque pependit, donec à transeunte milite depositus, & S. Eucharistiâ provisus, cœlum conscendit, hanc gratiam mendicandò, fulis videlicet quotidie certis precibûs, affecutus.

N.37. *Considera 2.* Quomodò Abraham non tantum Saræ suæ, jam actu mortuæ; sed etiam sibi etiamnum morituro sepulchrum emerit, dandò pretium pro spelunca duplici, in cujus unam partem suum quoque corpus, vitâ functum aliquando inferretur: ut sic vitæ suæ tempore frequenter intuens sepulchrum, frequentem haberet mortis memoriam, sciens: *Beatum esse virum, qui horam exitûs oculis mentis suæ semper præfigit, & ad moriendum se quotidie disponit* teste *Gerfen lib. 1. c. 23. §. 2.* Ut enim cinis conservat ignem, ita mortis memoria calorem divini amoris fovet, & nutrit: atque hinc *Majolus* Episcopus *Vultuariensis;* cum vix *Aulæ* tergum vertisset, adeò mortis memoriam sibi familiarem habuit, ut omnibus conclavium lateribus calvariam appenderit. *Eques* quidam *Rhodium,* ut refert *Hieronymus Posius,* cum ingens *Draco* toti insulæ damno & terrori maximo esset, cum oppugnaturus, hâc arte bellandi usus est. *Mollossos* duos equo suo insidens in fictum *Draconem,* vivo similem, crebrò exercitiò incitavit, incitatosque assuevit, animosè aggredi objectam sibi feram eamque dilaniare. Tandem assuefactos in vivum *Draconem* eduxit tam felici successu, ut immanis bellua laceratis per *Mollossorum* dentes genitalibûs mortua ante pedes equitis caderet. O Christiane! canes tui sunt potentia & passiones animæ tuæ, quas oportet crebrò exercitiò contra mortis simulachrum in aciem educere, fiet inde: ut in ipso

ipso mortis adventu nihil habeas, quod pertimescas mali, sed felici
victoriâ transeas ad perennem vitam. Ita se gessit Godefridus ex
Comite Capenbergensi Monachus Præmonstratensis, qui fociis in iti-
nere paufantibus, ipse membra sua scamno imposta, cum in modum
composuit, quem in mortuis cadaveribus sepulchro inferendis vide-
mus, quò exercitiò affecit: ut mortem sibi adventantem intrepidus
exciperet, consolans ipse fratrem suum germanum mcerentem hîs
verbis: *Idcirco mi frater propter Deum universa abdicavimus, quia nos ad hujus
hora necessitatem perventuros, hoc est, morituros, certissimè noveramus, præoptan-
tes atque satagentes, ne hujus nos procella discriminis obruat imparatos. Ample-
ctamur ergo hanc à corpore peregrinationem, faciamus de necessitate virtutem,
gaudentes & gratias agentes, quod de labore ad requiem, de miseria ad beatitu-
dinem transmigramus.* Surius 13. Jan.

Doctrina 3.

*Desumpta ex cap. 24. lib. Genesis, in quo describitur Legatio Abrahae pro
conjugio Isaaci &c.*

Considera 1. **A**lteram sollicitudinem, quam habuit Abraham, servum N. 38.
suum Eliezer adjurandò: ne Isaac matrimonio co-
pulandum, duceret in Patriam à se olim imperante Deò relictam,
ne videlicet ejus innocentia à malis incolarum moribus corruppe-
retur. Dices inde Christiane: quid mali immineat à malo confor-
tio hominibus etiam optimis. Proh dolor! quoties cernitur adole-
scens aliquis, qui in Ecclesia frequens in oratione assiduus paulò ante
reperiebatur, jam vix ullum Christiani hominis signum dare. Unde
hæc metamorphosis? à pravo consortio, à malorum societate. Non
enim tam citò arida stuppa flammam concipit, quàm vitæ juvenum
à perversis fociis pervertantur. Miraberis: Joannem Baptistam à ter-
tio ætatis anno inter sylvestres bestias commorantem, nil unquam
mali ab illis passum; mirandum potiùs fuisset, si ab ea ætate inter
mundanos commoratus, mundam servasset conscientiam. Hinc pro-
digiorum instar sunt vitæ Job, Loth, Tobix & Noë, quas constat in-
ter reprobos non reprobò modò fuisse transactas. Intellexerat hoc
ipsum Aristippus, qui teste Strobio Serm. 35. quæsitus: quid in vita
admirandum foret? responso dedit: *Vir bonus inter improbos.* Eâ de
causa

causa divinus ille Præco Moyses miraculum exstitisse ait : filios Core in domo rebellis & scelerati parentis positos à seditione fuisse immunes , & hinc non parâ ruinâ perditos. Non dispari modô miraculum grande evenisse crediderat senex ille Eremita , qui , ut memorat *Pratum Spirit. c. 194.* Videns juvenem , Alexandriæ ingredi cauponam , exspectabat egredientem , & seorsum hîs alloquebatur verbis : an nescis Domine frater , quia habitum angelicum fers ? ignoras , quia juvenis es ? nescis , quia per oculos & per aures & per figuras varias Monachi in civitatibus læduntur ? &c. cui ille : *Perge Senior : Deus non querit , nisi cor mundum.* Hæc audiens elevatis in cœlum oculis ac manibus , altum suspirans Senior exclamat : *Gratias tibi Deus ! ecce enim habito in Scythia jam annos 55. & mundum cor , non habeo : hic autem in tabernis conversans cordis munditiam possidet.*

N.39. *Considera 2.* Quòd sicut Eliezer Abrahæ servus exin cognoverit : Rebeccam esse electam , à Deo Isaaci sponsam , quòd potum aquæ frigidæ tam liberali & promptâ manu propinaverit sitienti : ita signum prædestinationis , & ineundi aliquando cum Christo æterni matrimonii esse liberalitatem & misericordiam , indigentibus exhibitam : in extremo enim Judicio prima inter quæstiones audietur ista : *quid comedit pauper ?* & juxta effatum Christi mercedem non perdet , qui sitienti dederit potum aquæ frigidæ. *Manus pauperis* , ait S. Chrysost. in Homil. de jejun. & elemos. *est Abrahæ sinus , ubi quidquid pauper acceperit , mox reperit. Thesaurus cœli est manus pauperis , quod suscipit , ne in terra pereat , reponit cœlum.* In generali excidio Jerichontinæ urbis unica domus Rachab , etsi mulieris veneri turpissimè servientis , servata legitur , cæteris omnibus in cineres redactis : unicum salutis hujus causam fuisse ejus misericordiam novimus , quam exploratoribus Josue , civitatem ingressis , exhibuit. Habuit ergo meretrix , ob sceleratam vitam flammam jam dudum promerita , certum salutis signum in eo positum , quod indigentibus præbuerit auxilium & asylum. Quid autem dictæ urbis excidio comparari poterit similis , quàm horrendum illud incendium , quod reprobos omnes in fine mundi divini illius Josue jussu involvet ? planè nullò peccatore hanc ruinam evasurò , nisi qui promptam habuerit manum ad succurrendum miseris. Vis causam nosse : cur Balthasar Rex à lauto convivio transferretur ad tam funestam mortem , & inde ad externos Tartari ignes , pascendus liquefactò plumbò & ære ? lege *Danielis cap. 5.* & invenies : nullum

nullum ex pauperibus illis assedisse epulis sed Magnates tantummodo & nobiles; & hinc Dæmoni in corpus & animam Regis hujus potestatem esse factam. Hoc perpendens S. Chrysof. Homil. 45. in Acta Apost. ait: *Sit custos domus tuæ pauper, sit tibi murulus & spicula, scutum ac lancea: ubi enim elemosina est, non audeat accedere Diabolus.* Quæris: cur dives ille epulo tot pecuniis aliam sibi non emerit sepulturam, quàm stygios rogos, è quibus tam miserabili ejulatù unicam tantùm aquæ guttulam rogaverit Abrahamum? en respondet illicò S. Augustinus vices agens Abrahami, epulonem è cælo sic alloquentis Serm. 227. de temp. *Quid faciam tibi? elemosinas non fecisti, qua peccatorum tuorum penas extinguerent: interveniant pro te pauperes, quidquid petieris, dono.* Vide ergo, quàm certum prædestinationis ad vitam æternam signum habeat, quisquis promptam ad dandas elemosinas manum habet.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 25. lib. Genes. in quo describitur Proles Abraha & Israëlitis, Jacobi & Esau.

Considera I. **Q**Uòd sicut Abraham filiis concubinarum suarum paternæ hæreditatis locò aliud non reliquerit, quàm munera quædam, ita Deus perversis Christianis pro cœlestibus gaudiis, quæ hæreditatis instar solis præparat prædestinatis ad gloriam, consignet quasdam fortunas temporales, dignitates, delicias & divitias hujus mundi, quæ spatio fruuntur. Hinc Christiane Lector, si pauperem multisque indigentibus repletam vitam vivere cogaris, cogita; exspectare te alibi hæreditatem paternam, æternùm possidendam. Sicut falco dum vivit, aucupis manu gestatur, mortuus sterquilinum pro sepulchro habet: gallina verò quamdiu vivit, in angulis domus aut stabuli delitescere cogitur, occisa tamen in argentea patina Regum mensis infertur: ita malis hominibus in hac temporali vita datur ad genium vivere, bonis autem non nisi miseri & tristes lucent soles; sed eorum mortes sequitur longè dispar scena, quàm altâ mente considerans Paulus exclamat 2. Corinth. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudiò in omni tribulatione nostra.* Paulum imitata Agatha Virgo & Martyr ibat lætissimè & glorianter ad carcerem,

& quasi ad epulas invitata agonem suum precibus Domino recommendabat. S. Thecla post superatas fidei defendendæ causâ immanes belluas, ignem & carceres, animo plusquam virili talibus alloquebatur Deum verbis: *Ecce me ô Christe! ecce! paratam omnibus vite diebus ad quevis vincula & carceres pro nomine tuo sustinendos, & pro majori semper gratia ac favore habeo, quam si quibuscunque mundi thesauris & delitiis daretur perfrui &c.* Quid quæso prædestinati aliud sunt, quam granum in area Domini repositum, quod excutitur, ut in cœli granario reponatur? quid aliud sunt, quam præciosi lapides Templi, qui dolantur, scalpuntur, poliuntur, ut ad æternum deserviant hujus loci ornatum? olim hæreditates funibus dimetiiebantur. Funes isti aduersitates sunt, è quibus Christus electis præparat flagella, ut eos temporaliter percutiendõ, hæredes faciat cœlestium voluptatum. O chari funes! ô benedicta flagella! per quæ electi trahuntur ad cœlum! ô felicia verbera, quæ ad æterni sponsi oscula pios fideles promoveat! eadem hæcde manus, quæ ad parvum temporis spatium flagellat, tota æternitate illos demulcebit: eadem dextera, quæ terrena abripit bona, æternas illis divitias dabit: idem Dominus, qui nunc in exilium illos mittit, revocabit eos ad patriam, æternum possidendam. Idem denique Pater, qui illos temporalis hæreditate privat, æternos illis thesauros, quos nec & rugo, nec tinea demolitur, præparat.

N. 41. *Considera 2.* Quas cruces & ærumpnas status conjugalis comites secum ferat: quis enim non credidisset, omnem fortunam cum tam speciosa & morigera puella Isaaco nupsisse? sed quàm contraria huic exspectationi tulit eventus: siquidem Rebecca non tantum viginti annis probrosâ laboravit sterilitate, sed tandem sæcundata, ut parere voluit, fatalibus fuit oppressa doloribus. Rectè igitur S. Ambrosius existimat: *Nuptias à nube originem suam traxisse: ut enim nubes præfagiunt tempestates, ita Nuptiæ indicant tempestatem illam, quam fat claris describit verbis gentium Doctor 1. Corinth. 7. asserens: Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Atque hinc S. Hieronymus Virgines ob puritatis candorem *Liliis*, conjugatos verò ob carnis tribulationem *Spinis* assimilare consuevit. Ingeniosam, & proposito nostro accommodam quidam affert causam: cur Deus Adamo daturus conjugem, ei immiserit saporem, testante id scripturâ Genes. 2. *Ammissis saporem in Adam.* Putat autem, id ex magna compassione, erga
Ada-

Adamum habita, factum esse, quasi dicens ei: nunc quiesce, & esto sine sensu, brevè enim habiturus uxorem, nullam ampliùs diem aut noctem quietam & doloribùs immunem habebis. Factum magnò stupore dignum observat Rupertus Abbas in Patriarcha Abraham: dum Matrimonio copulatum cogitat; frequentius à Deo visitatum: hâc verò visitatione destitutum esse, quando dulcissimâ conjuge orbatus, viduum agebat in Hebron. Notandum inquit in Genesim scribens lib. 6. cap. 33. *Quia Deus ulterius Abraham apparuisse non legitur.* Unde hoc? nunquid Sanctiorem vitam duxerat fruens uxore, quàm eâ privatus? Celada in cap. 4. Judicium dubiæ quæstioni respondet, dum ait: *Ego quidem existimo: Abraham uxore superstite eguisse tot divinis inspirationibus ne succumberet Matrimonii mole oppressus.* Non dispari de causa videtur Christus Dominus interfuisse Nuptiis in Chana Gallileæ celebratis: ut videlicet suâ præsentia, & gratiis ex ea manantibus Conjuges fortiores redderet ad sufferenda Matrimonii onera, ad portandas cruces, ad decoquenda tædia. Philosophus quidam Theodatus nomine dicere consueverat: duas res reperiri, quas naturali instinctu appetant omnes; obtentis tamen illis maximè doleant. Unum ex his senectutem esse, alterum Matrimonium. Sententia planè verissima & innumeris exemplis probata. Vide ergo Christiane Lector quid agas, si nunc vitam cœlibem agis? ne te serò poeniteat, hunc statum reliquisse.



FASCI-